



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

83. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Tertia vox sacrandæ Deo, cœloquè ferenda,
Vive piè Triadi, præmia trina dabit.

(a) Ex S. Bern. serm. 11. inter parvos, ubi ait: vivamus sobriè erga nos, justè erga proximum, piè erga Deum.

Nota. Ex verbis hujus loci ad Tit. 2. scilicet: apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, sobriè & justè, & piè vivamus expectantes adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris JESU Christi &c. Probant Commentatores contra veteres & novos Arianos, JESUM Christum esse verum, magnumquè Deum.

SYMBOLUM 83.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. 2.

Tim. 4,

Quis memoret Pauli seriem sine fine laborum?
Parta, cui duro marte, corona datur.

(a) Ac velut in stadio quoties attingere metam

Contigit; & laurum præripuisse alijs?

More fidem servantis hero, constanter amavit

Aspera pro Triados plurima ferre fide.

(a) Fit hic allusio vel ad agones olympicos in quibus luctando, pugnandoque: vel ad stadium, in quo currendo, certabatur: ubi victores bravij & coronis a brabeutâ donabantur. Talis agon vel stadium erat vita Pauli: bravij, gloria cœlestis, seu visio SSS. Trinit. Brabeuta seu præses certaminis; SSS. Trias.

SYMBOLUM 84.

In ipso vivimus, movemur & sumus. Act. 17

Nec vitam dedimus nobis, nec traximus esse,

Immotæ Triados motus ab ente venit.

Piscis in oceano, movet ales in aëre pennas,

Sed vitæ & motûs unica causa Trias.

Quil-